



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 131. Pacis initæ edictum in Regno promulgatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

Sæc. XVII. nimentum esset, destrui recusabat; cum  
 A.C. 1616. vero Condæus, eique adhærentes hoc  
 articulo unice Ancræum opprimere inten-  
 dissent, ipsemet Ancræus hanc ar-  
 cem simul, & Picardiæ Præfecturam  
 Regi ceſſit.

## §. CXXXI.

*Pacis initæ edictum in Regno pro-  
 mulgatum.*

*Merc. Gal-  
 lob. tom. II.  
 l. 2.*

**P**aulopost Regis nomine promulgatum  
 est pacis edictum, quod utpote  
 communi Regis, Reginæque Matris,  
 ac ceterorum Principum, & Nobilium  
 consilio sancitum, etiam constans, nun-  
 quam revocari posset. „Eius summa  
 „hæc est: I. omnium a prima Julii su-  
 „perioris anni gestorum sit oblivio, II.  
 „Catholica religio in illis locis, ubi ab-  
 „rogata est, restituatur,“ III. Ca-  
 tholici omnibus in locis securi habitent,  
 & amissa recuperent, IV. Episcopi &  
 Doctores in Ecclesiis decretum Concilii  
 Constantiensis urgeant. V. Decretum  
 Parisini Senatus effectum suum fortia-  
 tur. VI. Extranei ab Imperii officiis  
 arceantur: VII. in locum Petri Ber-  
 geri, qui ad Catholicam fidem reversus  
 est, alias in Parlamento ex Calvinistis  
 subrogetur, VIII. his usus suæ sectæ  
 liber sit in illis locis, ubi his turbis fuit  
 ad.

ademptus. IX. Condæus, eique ad Sæc. XVII.  
hærentes in gratiam Regis recipientur,  
ab omnibus tamen fœderibus occultis  
abstineant, ni seditionem capite luere  
velint: denique X. Utrinque captivi  
dimittantur.

A. C. 1616.

Præter hæc capita, alia quædam a Regiis Deputatis ad Principes Condæo adhærentes, & tum Julioduni congregatos transmissa postmodum a Rege rata habebantur, quorum potissima hæc sunt, I. Romano - Catholica Ecclesia privilegiis & immunitatibus suis more veteri passim in regno fruatur: II. sine auctoritate & consensu Regis circa Concilii Tridentini introductionem, quæ ab Ecclesiasticis quidem tentata, sed a Rege nondum approbata, nec in effectum etiamnum perducta fuit, nihil statuat. III. Articulus edicti Nannetensis vigesimus septimus de Calvinistis ad omnia officia & dignitates admittendis servetur. IV. Catholici tam Ecclesiastici, quam fæculares in Millo oppido habitantes, sub Reformatorum, quibus eos Rex diligenter commendatos velit, tutela & protectione vivant: V. Reformati sub Catholicorum tutela quiete vivant, & Religionis suæ usu libere fruantur: VI. Condæo & aliis ipsi unitis Principibus tam catholicis, quam reformatis quindecim centena millia li-

Kk 3 bra-

Sæc. XVII. brarum, ut, & militibus, quæ debentur  
 A. C. 1616. stipendia, & quæ in bello hoc contracta sunt, debita alia exsolvere inde possint, a Rege suppeditentur. Decreta sunt hæc, & a Rege, Reginaque Matre confirmata die sexta Maij, qua die pax hæc Lutetiæ Parisiorum promulgata fuit, lecto in plateis mandato Regio.

Decimo post die Rex cum Conjuge sua Parisios advenit, ingenti pompa, populique lætitia exceptus: demum vero Condæo, ceterisque tam Catholicis, quam Reformatis quindecim centena millia librarum Rex, uti caverat, suppeditabat, ut Germani milites dimitti, atque ad fines Germaniæ secure deduci, ceterisque militibus stipendia, contractaque debita persolvi possent.

### §. CXXXII.

#### *Condæus Princeps Parisios rcversus.*

*Serran.* Firmata utrinque pace Principes ad  
*Franc. Hist.* aulam rediere, & primi quidem  
*pag. 935.* Mayenius, & Bullionius Duces, quos  
*Calmet hist.* Univ. l. 151. Rohanius Dux, Rosnius Marchio, &  
*Gramond.* Comes Candalius sequebantur, Parisios reversi sunt, Condæus vero literis  
*Hist. Gall.* Regiis iterato vocatus, Rupefortium  
*lib. 2.* ablegabat, qui valetudinis curandæ obtentu absentiam excusaturus, simul Regi expo-